



ALEXANDER PRINCEPS  
A RUDNA ET DIVÉK-UJFALU, MISE-  
RATIONE DIVINA ECCLESIAE METROPOLITA-  
NAE STRIGONIENSIS ARCHI-EPISCOPUS, S.  
SEDIS APOSTOLICÆ LEGATUS NATUS, PRIMAS RE-  
GNI HUNGARIAE, SUMMUS, AC SECRETARIUS CAN-  
CELLARIUS, INCLYTI COMITATUS STRIGONIENSIS SU-  
PREMUS, AC PERPETUUS COMES, SACRÆ CÆSAREO  
REGIÆ APOSTOLICÆ MAJESTATIS ACTUALIS INTI-  
MUS STATUS, PROUT ET EXCELSI CONSILII REGII  
LOCUM TENENTIALIS HUNGARICI, NEC NON EXCEL-  
SI GUBERNII REGII IN MAGNO PRINCIPATU TRANSIL-  
VANIAE CONSILIARIUS, EXCELSÆ COMMISSIONIS ECCLESIA-  
STICÆ IN HUNGARIA PRÆSES, ET EXCELSÆ TABULÆ SEP-  
TEMVIRALIS COJUDEX, HACTENUS EPISCOPUS TRANSILVA-  
NIAE, ET SUPREMUS OMNIUM PER TRANSILVANIAM CATHO-  
LICARUM SCHOLARUM DIRECTOR, S. S. THEOLOGIÆ DOCTOR.

Venerabilibus, Honorabilibus, sincere in Christo Dilectis:

Capitulo Ecclesiae Nostræ Cathedralis, Abbatibus, Præpositis, Archi- et Vice-  
Archi-Diaconis, Parochis item, Eorumque Capellanis Ecclesiarum Rectoribus.  
Regulari in Superioribus, totique Clero ac Populo, Spirituali Nostræ Iurisdictioni  
subjecto Salutem, et Paternam Benedictionem.

Benedictus Deus, et Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui immensa  
largitate Misericordiæ suæ, indigno Ministerio Nostro, Vos visitavit Ori-  
ens ex alto, qui Nobis in Mapalibus Vestris Vos invisentibus, Ecclesias-  
que sollicitudini Nostræ creditas, per montes et valles, per silvas, et  
campos dispersas adeuntibus fecit aspera in vias planas, Nosque iis com-  
munivit præsidiis, ut quod statim a suscepto Ecclesiæ Transilvanicæ re-  
gimine animo concepimus, opus Canonice Visitationis juxta Normam  
a Patribus traditam, per universam, qua late patet Sacram Ditionem No-  
stram, intra triennium feliciter perficeremus, haustaque tum Personarum  
tum Locorum aliorumque adjunctorum, quæ ad Munus Pastorale Nobis  
Divinitus comissum rite explendum plurimum faciunt, ubere notitia, in-  
numeris Campanis, Vasisque sacris, ac duodecim Ecclesiis solenni ritu  
consecratis, multis partim a Judaica perfidia, partim ab Helvetica et Au-  
gustana Confessione, post editam in manibus Nostris publicam Fidei  
professionem, in sinum Matris Ecclesiæ Catholicae receptis, plus quam  
quadraginta millibus Fidelium Sacramento Confirmationis communitis,

Indulgentiis plenariis ex speciali *Sanctissimi Domini Nostri Papæ PII Septimi* concessione ubique promulgatis, velut totidem spoliis de antiquo serpente, auxiliante *Domino reportatis onusti*, ad sedem Nostram Episcopalem salvi reverteremur. Regi Sæculorum Immortali, et Invisibili soli DEO honor, et gloria in Sæcula Seculcrum.

Ut vero in hoc Apostolico Opere necessarium Ordinem, modumque teneremus, ejus initium a remotissima Siculorum Regione capiendum decrevimus, tum quod Nobilem hanc Gentem, cui servatæ in Transilvania Catholicæ Religionis gloriam maxima parte debemus, videndi, alloquendi, ac in salutaribus Majorum Institutis confirmandi miro desiderio tenebamur, tum quod minime dubitaremus magno eos e conspectu supremi Pastoris solatio repletum iri, quem triginta et quod excurrit Annis apud se non vidissent, obliteratis jam gloriosæ memoriæ Nostrorum Antecessorum vestigiis, quæ speciosi pedes evangelisantium pacem illic olim impresserant.

Postquam igitur e gravissimo periculo, quod a vi morbi operam Medicorum diu ludentis, vitæ Nostræ imminebat, præpotenti Dextera Excelsi liberati sumus, Anno 1817. Die 19. Maji in Nomine Domini iter ingressi, per Balásfalvam, Mediam, Elisabethopolim, Schæsburgum, Szitás-Keresztur, Székely-Udvarhely, Oláhfalu, transvadato non sine discrimine late diffuso Aluta, die 23-ia Maji ad Csik-Somlyó feliciter pertigimus, maximo diebus sequentibus solatio e devotione innumerabilis Fidelis Populi, eo veteri ritu confluentis, recreati. Mora itaque illic in Pontificalibus functionibus, ac discutiendis Parochorum visitationalibus Responsis usque 27-mam Maji exacta, Die 28-va ejusdem Mensis Iustrata ex itinere Filiali Capella Tapoczensi, Parochiam Ecclesiamque Parochiale non minus, ac Capellam Arcensem in Csik-Szereda. 29-a in Szent-Miklos, Szép-Viz, et Delne. 30-a in Szent-Mihály, Rákos, et Csicsó. Die 31-a Capellas S. Antonii et SSmi. Salvatoris in monte Csik-Somlyóviensi visitavimus. Die 1-a Junii Ecclesia Parochiali Csik-Somlyóviensi per Nos solenni ritu consecrata. Die 2-a ejusdem Mensis, Ecclesia Patrum, Conventu, Bibliotheca, Typographia, Scholis, Seminario Studiosæ Juventutis perlustratis, ad visitandam Ecclesiam Parochiale, et Parochiam accessimus, ac pomeridiano tempore Officiosis expeditionibus impenso, itineri rursus accincti, atque ad Udvarhely ob imminentem SS. Corporis Christi Solennitatem eadem via reversi. Die 5-a Junii Sacro Pontificali absoluto, solennem in concursu totius Districtualis Cleri, et Populi undique turmatim adcurrentis, Theophoricam Processionem peregimus. Die 6. 7. 8. omnibus, quæ ad visitandam Parochiam Ecclesiamque Parochiale, Conventum item ac Ecclesiam Franciscanorum, deinde Gymnasium et Seminarium Studiosæ Juventutis, nec non Xenodochium pertinebant rite persolutis. Die 9-a Junii post meridiem, ad continuandum nuper in Districtu Archi-Diaconali Fel-Csik cæptum sacrum Visitationis opus, eandem viam relegentes, sequenti ad Csik-Somlyó feliciter delati, inde Die 11-a ad Madaras, 12-a ad Nagy-Boldog-Aszszony, 13-ia ad Csik-Szent-Tamás, 14-a ad Szent-Domokos functionum Visitationium peragendarum causa excurrimus, ac Die 15-a Ecclesia Parochiali Szent-Domokosiensi solenniter consecrata, Visitationem Canonicam totius Districtus Archi-Diaconalis Fel-Csik consummavimus.

Die

Die 16. per Nagy-Boldog-Aszszóny iter in Provinciam Gyergyóiensem ingressi, ac tempestive ad Al-Falu delati, mox visitationalibus Responsis in Corona Fratrum discussis, sequenti Die 17-a Parochiam et Ecclesiam Remeteiensem, deinde Dittroensem, denique Szárhegyiensem cum Conventu et Ecclesia Franciscanorum, Die 18-va Al-Falvensem et Csomafalvensem, Die 19-a Gyergyo-Szent-Miklosiensem Latinam æque ac Armenicam, Tekeröpatakensem ac Kilyenfalvensem, Die 20-a Gyergyó-Ujfalvensem, tum temporis, ab annuciatum Suarum Majestatum Sacratismarum in Transilvaniam adventum, tum rei Familiaris, ob grassantem eotum inediam, angustiis constricti, sine intermissione perlustravimus. Atque in hunc modum Districtu Archi-Diaconali Gyergyó absoluto, eadem die ad Nagy-Boldog-Aszszony reversi, Die 21-a consecrata illic principe ara, per Csik - Somlyó ad visitandum Districtum Archi-Diaconalem Al-Csik contendimus.

Die 22-a visitata ex itinere Filiali Ecclesia Zsögödiensi, Ecclesiam Parochialem Csik-Szent-Lélek, deinde Csik-Mind-Szent lustraturi adivimus, ac Responsis Visitationalibus omnium in Csik-Szent-György, in præsentia sacrorum Curionum revisis, Die 23-ia Parochiam Csik-Szent-György- et Menaság, Die 24-a Csik-Szent-Márton cum hujus Ecclesiæ consecratio, ne, Die 25-a Csik-Szent-Király, Szent-Imre, Szent-Simon, et Capellam Verebessiensem, Die 26 a Tusnád et Kozmás, Die 27-a Kászon-Ujfalu cum Capella, Die 28-va Nagy-Kaszon, Die 29-a Jakabfalva cum consecratione hujus Ecclesiæ canonice lustravimus. Atque ita Districtu Al-Csikiensi feliciter terminato, Sedem Siculicalem Haromszék, et Archi-Diaconalem Districtum Kézdi et Orbai eadem adhuc die prospere attigimus.

Ac perlustrata ex itinere Ecclesia Parochiali Száraz-Patakiensi, die 30-a Parochiam Kézdi-Szent-Lélek, Die 1-a Julii Pollyán cum Filiali Bellafalvensi, deinde Lemhény et Esztelnek cum Ecclesia et Conventu Franciscanorum, Die 2-a Ecclesiam Oppidi Beretzk, Nyujtod, et Sárfalva Die 3-ia Ecclesiam Parochialem Osdola, et Filialem Gelentzensis Hilib. Die 4-a Gelentze cum Filiali hujus Haraly, et Imetsfalvensis Petőfalva, Die 5-a Parochialem Szent-Katolna et Filialem Hatolyka, Die 6 a Ecclesiam Imetsfalvensem per Nos prævie ritu solenni consecratam, prout et Militarem Capellam Kézdi-Vásárhelyiensem, Die 7 ma præmisso in Ecclesia Parochiali Kantensi pontificali sacro, eandem, ac Conventum Minoritarum, Gymnasium, ac studiosæ Juventutis Seminarium, nec non ex itinere Ecclesiam Peselnekiensem, supra memoratae Száraz-Patak Filialem. Die 8-va Ecclesiam Parochialem et Capellam neoerectam Al-Torjensem, Die 9-a Parochiam ac Ecclesiam Futásfalvensem canonice visitavimus, omnibusque ad Normam Ecclesiasticam compositis, multis interea congregatis Officiosis negotiis biduo Kantæ impenso: Die 12-a Julii lustrata primum publica Ecclesia Zabolaensi, deinde Capella Tamásfalvensi, Die 13-a vacante eotum Ecclesia et Parochia Zágoniensi, finem sacro huic operi in Districtu Kézdi et Orbai feliciter imposuimus. Unde Archi-Diaconatum Sepsi et Miklosvár, Decanatumque Barcensem subeuntes.

Die 14-a Julii publicam Capellam in Eresztevény Sumptibus Domini terestralis ejusdem nominis exstructam, Die 15-a Ecclesiam Parochialem Szent-Ivány cum Capella neo-erecta, Die 16-a Ecclesiam Mikó-Ujfalvensem cum Filiali Bikszád. Die 17-a Parochiam Köröspatak, et

**Capellam Militarem Equestris Legionis Siculicæ in Sepsi-Szent-György,**  
Die 18-va Illyefalva, Die 19-a Capellam Dominalem, spirituali quoque  
usui vicinorum locorum deservientem in Hidvég. Die 20-a Baroth cum  
**Capella**, Die 21-a Miklosvár, canonice perlustrantes, omnibusque functio-  
nibus expletis, mutatis identidem equis Coronam non sine maximo Cleri,  
Populique jubilo pertigimus. Ubi Ecclesiam Parochialem Die 22-a so-  
lenniter ingressi, sacroque pontificali celebrato, ea quæ cum Visitatione  
Canonica connexa sunt, omnia peregrimus. Die 23-ia mane lustratis Scho-  
lis Normalibus, facta procursione Ecclesiam Filialem Bodolaensem, ac in  
reditu Pastore viduatam Törkössiensem, Die 24-a Capellam Lauretanam  
in Cœmterio Coronensi sitam, Ecclesiam item Patrum Franciscanorum  
cum Conventu fine peragendæ visitationis adeuntes, opus hoc Apostoli-  
cum in Districtu Sepsi et Miklosvár, ac Decanatu Barcensi conclusimus.  
Die 25-a ejusdem Mensis Julii ad postremum pro hoc Anno defixum Ar-  
chi-Diaconalem Districtum Fogarasiensem cum Decanatu Cibiniensi con-  
junctum tendendo, ad Oppidum Fogaras pro nocte salvi pervenimus. Ubi

Die 26-a tempestive, ac circa meridiem in Porumbach Visitationa-  
libus functionibus expeditis, Cibinium post medium noctis delati, atque  
illuc principali statione defixa, Die 27-a Pontificalia solennia in Ecclesia  
Parochiali, et quæ ad Visitationem pertinent, peragentes, Die 28-va Ca-  
pellam S. Crucis et Ecclesiam Parochialem extra Muros, ac Orphanotro-  
phium. Die 29-a Scholas Normales, Ecclesiam item Sanctimonialium  
cum Conventu, Ecclesiam Franciscanorum itidem cum Conventu Cibinii.  
Die 30-a Ecclesiam Contumaciam non secus, ac Capellam Militarem  
Rubro-Turrensem, Die 31-a Julii Ecclesiam primi Regiminis Valachici  
in Orláth, Die 1-a Augusti Ecclesiam Parochialem Vizaknensem, Die 2-a  
Ecclesiam æque Parochialem Mercuriensem canonice lustravimus; Factis-  
que circa Ecclesias Contumaciarum Bodza, Tömös, Törtvár in Caronen-  
si, Otoz in Kézdiensi, Gyimes in Fel-Csikiensi, Tölgyes in Gyergyóien-  
si Districtibus sitas, quas velut remotiores, asperis quoque viis interclu-  
sas, ob temporis etiam brevitatem adire non potuimus, nomine Nostro  
visitandas, apud Archi-Diaconos, quibus eæ Ecclesiæ subsunt, dispositio-  
nibus, Albam Carolinam prospere reversi sumus; ac die 1-ma Novembris,  
et sequentibus Visitatione Capituli, Ecclesiæ item Nostræ Cathedralis,  
Parochiæ Albensis, omniumque huc pertinentium Sacrorum Institutorum;  
subin vero Die 14-a et sequent. Decembris Visitatione Ecclesiæ, et Parochiæ  
Claudiopolitanæ cum omnibus Accessoriis feliciter perfuncti, Apostolico  
operi pro hoc Anno coronidem imposuimus.

Anno porro 1818. Sacrum Visitatoinis Canonicæ opus auxiliante  
Domino prosecuturi, ipsa Dominica Sanctissimæ Trinitatis in diem 17-am  
Maji incidente itineri accincti, in Districtum Elisabethopolitanum teten-  
dimus, ac visitata, quæ se Nobis in itinere objecerat, nec sine incommodita-  
te ad seriem visitandarum Districtus Archi-Diaconalis Küküllö, quorsum  
spectat, Parochiarum recipi poterat. Die 18-va Ecclesia Parochiali Hosz-  
szu-Azsoiens, ac Filiali Mikeszásza, primam supra memorati Districtus  
Elisabethopolitan Parochiam Kiss-Kapus sub vesperam subivimus, atque  
hic die 19-a, Mediae vero die 20-a cum Sacro Pontificali, omnes conse-  
tas Functiones visitationales peregrimus. Die 21-a Elisabethopoli Ecclesiam  
Armenorum solenniter adeuntes, post pontificalia Missarum solennia,  
Processionem Theophoricam splendido prorsus apparata duximus, iisque,  
quæ ad Visitationem pertinent, absolutis, Die 22-a Ecclesiam, ac Paro-  
chiam

biam Latini Ritus, deinde vetustam Ecclesiam Ssmæ Trinitatis, ædes Parochiales Armenorum usui deservientes, Ecclesiam Antonianorum, Capellam S. Joannis Baptiste, demum Capellam Calvariæ neo-erectam invisimus, confectisque die sequenti cum Magistratu, ac electa Communitate feliciter nonnullis negotiis, magno Comitatu Schæsburgum appulimus, ubi die 24-ta Ecclesiam Parochialem, ac Residentiam Franciscanorum curam animarum illic exercentium, postea Capellam Fejéregyháziensem, Die 25-a Ecclesiam Parochialem Sárpatkiensem. Die vero 26-ta Ecclesiam itidem Parochialem Almakerékiensem hactenus e munda aedicula, sed stramine tecta constantem Canonice perlustrando, Districtum Elisabethopolitanum cum pace reliquimus.

Longo deinde itinere ad Nagy-Sink delati, Die 27-a pusillo huic gregi solarium, quod ei in serie Parochiarum Districtus Fogarasiensis anno superiore præstare nequivimus, Officiumque Visitationis impendimus. Inde late diffusum Archi-Diaconalem Districtum Udvarhelyiensem subeuntes, Die 28.va Maii Rupibus, die 30-ma in Szász-Zsombor, die 31-ma Karatsonfalvæ, die 1-ma Iunii in Lövéte, 2-da in Szentegyházas, prout et in Kapoinas Oláh-Jalu, die 3-ia in Homorod Remete, et thermis Homordiensibus, et post officiosa negotia in Udvarhely expedita, die 5-ta Maresfalvæ et in Fenyéd, die 6-ta in Zetelaka et filiali Keményfalva, die 7-ma in Szent-Király, ubi Ecclesiam solenni ritu consecravimus, die 8-va in Oroszhegy, die 9-a in Szent-Tamas et Filiali Tibod, die 10-a Kaditsfalvæ, et in Filiali Bethlenfalvæ, capta demum iterum in Udvarhely nonnulla expediendi occasione, die 12-a Lengyelfalvæ cum ipsius Ecclesiæ consecratione, die 13-ia in Vágás, die 14-a in Szitás-Keresztur, et Malomfalva, die 15-a in Szent-Lélek prioris Matre, die 16-a in Farkaslaka, Pálfalva, Korond, die 17-a in Para'd, et Szováta, die 18-a in Atyha Ecclesia quoque solenni ritu consecrata, die 19-a in Etéd, die 20-a in Bözöd-Ujfalú Canonicam Visitionem peregimus. Atque in hunc modum universo Districtu Udvarhelyensi feliciter terminato.

Die 21-a Junii Districtum Archi-Diaconalem Marusiensem multamque hic messem subivimus. Facto die 22-a Visitationis Canonicae in Parochia Szent-Háromságiensi initio. Inde magna solennitate, amploque ac splendido comitatu ad Metropolim hujus Districtus Maros-Vásárhely deducti, diem 23-am Junii canonice visitandæ Ecclesiæ Parochiali, Parochiæ, ac Seminario Studiosæ Juventutis insumpsimus. Die 24-a velut ejusdem Ecclesiæ Parochialis Patrocinio, eandem solenniter ingressi, pari solennitate sacris operati, administratione Sacramenti Confirmationis ultra meridiem producta, die 25-ta ad Filiales Capellas Nyárádtöiensem et Megyesfávensem lustrandas procurrimus, die 26-a Ecclesiam et Residentiam primo Minorum Conventualium Marosvásárhelyini, deinde Franciscanorum, prout et Hospitale Civicum, et facta post meridiem procusione Filialem Capellam Náznánfalvensem, ac inde reduces Capellam S. Joannis Nepomuceni et Molam ac Allodium Parochiale, denique neo-erectum Nosocomium Regni inspeximus. Die 27-a Monte Calvariæ ac Cæmeterio, Gymnasio item, ac Scholis Normalibus lustratis, die 28-a in Szent-György, die 29-a in Ernye, die 30-a in Káál et Böö, die 1-a Julii in Hodos, et Filiali hujus Ehéd, ac Iszló Filiali Parochiæ Kááliensis, die 2-a in Jobbágytelke, et Filiali Deményháza, die 3-a in Köszvényes et Remete, die 4-a in Sellye, die 5-a et 6-a Mikházæ, die 7-a in Maros-Jára, Körtvélyfája, die 8-va in Görgény-Szent-Imre, et Ustrina vitriaria, die 9-a in Disznajo,

die 10-a in Szász-Régen, die 11-a in Abafája, die 12-a in Sámsond, et Bánd, Ecclesias sive Parochiales, sive Filiales, prout et Dominales Capellas diligenter perlustravimus, ac ubique locorum consuetas functiones Visitationales rite absolvimus. Unius demum diei intervallo Officiosis expeditionibus M. Vásárhelyini dato, die 14-a Julii visitandæ Ecclesiæ Ákosfalvensi et Capellæ Dominali Kelementelkensi, die 15-a ruinatæ Capellæ Gyalakutensi vacavimus. Atque ita amplio Districtu Archi-Diaconali Marusiensi terminato, ad contiguum Districtum Küküllöensem transeuntes.

Die 16-a Julii Ecclesiæ Parochiali Bordosiensi, et Zsákodiensi, die 17-a Ecclesiæ Vétkensi, et Szent-Demeteriensi, die 18-va Egestöensi, die 20-a Somogyomensi nunc Districtui Elisabethopolano ingremiatæ, die 21-a et 22-a hac occasione per Nos solenni ritu consecratæ Ecclesiæ Parochiali Szökefalvensi, die 23-ia Küküllövárensi, die 24-a Abosfalvensi, et Capellæ Mikefalvensi, die 25-a Ecclesiæ Parochiali Szent-Páliensi, et Capellæ arcensi ibidem, prout et Mausoleo Familiæ Comitum Haller, die 26-a Capellæ Dominali Ugraensi, die 27-a Radnothiensi Canonice lustrandis operam dedimus, atque inde Districtum Archi-Diaconalem Thordensem ingressi.

Die 28-a Julii Parochiam Szengyeliensem, et Capellam publicam Egerbegyiensem, die 29-a Capellam Dominalem Gerendiensem, die 30-a Ecclesiam Parochiale Haraszto, subinde flexo trans Marusium itinere, Capellas Moros-Ujvárensem, Aknensem, Magyar-Cseszvensem, die 31-a Ecclesiam Parochiale Fel-Vintzensem, die 1-a Augusti Capellam Dominalem Bágyoniensem, Parochiam item Várfalvensem, die 2-a Sinkfalvensem, die 3-ia Ecclesiam Parochiale Thordensem, cum Ecclesia et Residentia Franciscanorum, die 4-a Ecclesiam Thorda-Aknensem, die 5-a Torotzko-Szent Györgyensem, cum Residentia Franciscanorum, et Capella Dominali Canonice visitando, nullam seu Districtus hujus Thorda, et Aranyos, sive Officii Nostri partem negleximus.

Facto demum ad Archi-Diaconalem Districtum Cathedralem seu Albensem transitu die 7-a Augusti in Ecclesia Parochiali, et Residentia Conventualium Nagy-Enyediensi, die 8-va in Ecclesia Parochiali Tövissensi visitationalibus Functionibus rite peractis, Albam-Carolinam reversi, ac intermedio tempore Semestralibus Examinibus Junioris Cleri occupati, opus paulisper interruptum prosequuti die 20-a et 21-a Augusti Zalathnæ Ecclesiam Parochiale, Capellam S. Joannis Nepomuceni, Gymnasium, ac Scholas Normales, die 22-a Ecclesiam Parochiale Abrud-Bányæ, die 23-a in Verespatak, die 24-a Offenbányæ, die 26-a Topánfalvæ subin ob situm locorum Parochiis quoque Districtus Hunyadiensis intermixtis, die 30-a Augusti Ecclesiam Parochiale Házegiensem cum Hospitio, et interimali Capella Franciscanorum, die 1-a Septembbris Ecclesiam Parochiale cum Conventu Franciscanorum, Schola, et Capella Arcensi in Vajda-Hunyad, die 2-a Királybányæ, die 3-ia in Gyalár et Kaszabánya, die 4-a Ecclesiam Parochiale cum Conventu, duabusque Capellis Devæ, die 5-a in Illye, et Dobra, die 6-a Boitzæ, die 7-a Ecclesiam Parochiale Körös-Bányensem cum Residentia Franciscanorum, die 8-va in Nagy-Halmág, die 10-a in Csertes, die 11-a Ecclesiam Parochiale cum Capella in Nagy-Ág, die 12-a Capellam Dominalem in Al-Gyógy

Ca-

Canonice visitavimus, paucisque diebus Albæ examini Candidatorum ad Clerum et gravibus nonnullis negotiis impensis, resumpto iterum opere die 17-a Ecclesiam Drassoiensem, die 18-a Sabæsiensem cum Residentia Franciscanorum, die 19-a Al-Vintzensem cum Conventu itidem Franciscanorum, die 20-a Consecratam hac occasione per Nos Ecclesiam Parochialem Sebeshelyensem, denique die 21-a Ecclesiam Parochialem Saxopolitanam cum Domicilio Franciscanorum Canonice perlustrando, sacrum hoc opus, hoc Anno ad finem feliciter perduximus.

Anno demum 1819 recenter evoluto post celebratam Claudiopoli die 27-a Maji Nostri solennem in Supremum universarum per Transilvaniæ Catholicarum Scholarum Directorem inaugurationem, diem 28-vam et 29-am ejusdem Mensis visitandis Lycealibus non minus, quam Gymnasi, et Normalibus Scholis, Convictui item ac Seminario S. Josephi, diem vero 30-am administrando Confirmationis Sacramento in Ecclesia Parochiali post solençem Missam pontificalem impendentes, residuos adhuc Districtus Archi-Diaconales Kolos cum Doboka, et Szolnokiensem pro munere Nostro adituri, 31-a Ecclesiæ Parochiali Kolos-Monostoriensi, die 1-a Junii Szász-Fenesiensi, die 2-a Oláh-Fenesiensi, et Dominali Capellæ, die 3-ia Capellæ Dominali in Gyaiu, die 4-a Capellæ publicæ Zentelken-si, die 5-a Ecclesiæ Parochiali Jegenyensi, et desolatæ Capellæ Egeresiensi, die 6-a Ecclesiæ Batsiensi, 7-a Possessorio Hospitalis Claudiopolitanus ad S. Elisabetham Méraensi, die 8-va Ecclesiæ Kájántóiensi, et Capellæ Paptalvensi Officium Canonicæ visitationis exhibuimus. Inde Claudiopolin reversi, peractaque solenni die 10-a Junii Theophorica Proces-sione, die 13-ia sub actu Visitationis Ecclesiam Parochialem Kolosiensem consecravimus, visitataque Capella in monte sita, sacrum iter prosecuti in visitandis Ecclesiis, et quidem Parochiali Motsensi die 14-a, Capellis Báldiensi et Sármusiensi die 15-a, Parochiali Katonaiensi cum Capella Halleriana die 16-a, Capella Budatelkensi die 17-a, Parochiali Szász Erke-diensi die 18-va, Tekeensi die 19-a, in Parochiali, et Minoritarum, Scholis item ac Domiciliis Regularium Bistricii, die 20-a et 21-a in Naszodiensi die 22-a Rodnensi, 23 ia, in Capellis Sómkerékiensi et Bethlenensi die 24-a, Ecclesia Parochiali Csicsó-Kereszturiensi, et Capellis Batzaensi, ac Szász-Nyiressiensi die 25-a, in Ecclesia Parochiali Bálványos-Váralya, item Capellis Szent-Benedekiensibus die 26-a Junii occupabamur. Diebus porro 27-a et 28-va Szamos-Ujvarini omnia, quæ ad visitandas Ecclesias Parochialem, Salamonianam, Arcensem, Franciscanorum item, Scholas, Hospitale, Carceres, spectabant, prout et Ecclesiam Déés-Aknensem perlustrantes, die 29-a et 30 a Junii Déésini Ecclesiam, et Conventum Franciscanorum, Capellam, Scholas, die 1-a Julii Capellam in Pollyán, die 2-a Julii in Magyar-Lápos, die 3-ia in Oláh-Lápos et Strimbuly, die 4-a in Oláh-Láposbánya, die 6-a et 7-a in Kapnik-Bánya Ecclesias superioris et Inferioris Negotiationis, prout et Scholas diligenter pervestigavimus: ac facta hinc Szathmarinum excursione, interruptum paulum opus Visitationis iterum prosecuti, die 13-ia in Tihó, die 14-a in Gorbó, die 15-a in Kend, die 16-a in Bádok, Kide, et Gyula, die 17-a in Bontzida, die 18-va in Szék, die 19-a in Györgyfalva partim Ecclesiis Parochialibus, partim Dominalibus Capellis perscrutandis, ac necessariis Functionibus ubique de more, institutoque peragendis operam Pastoralem adhibuimus, salutareque hoc opus in tota Diœcesi curæ Nostræ credita, DEO propitio conclusimus.

Cujusmodi Visitationis Canonicæ per Nos peractæ adæquatam seriem Generali huic Nostro Decreto ad omnium, quorum interest notitiam perventuro ea potissimum de causa inferendam censuimus, ut cum particularia Decreta post absolutam Visitationem præcipuis duntaxat locis, aut ubi id peculiaria rerum adjuncta exposcebant, puta: Capitulo Ecclesiæ Nostræ Cathedralis, Parochiis item Claudiopolitanæ, Maros - Vásárhelyensi, Cibiniensi, Coronensi, Elisabethopolitanæ, Armenopolitanæ, Székely - Udvarhelyensi, et Oláhfalvensi expedienda curaverimus, Canonicæ Visitationis per Nos ubique locorum quando institutæ perpetuum exstet Documentum.

Etsi quidem tota hac sacra peregrinatione Nostra nihil uspiam intentatum reliquerimus, quominus id, quod iniqvitate temporum fortasse perierat, reqviramus, et quod abjectum erat, reducamus, et qvod confractum fuerat, alligemus, et qvod infirmum consolidemus, et qvod pingue et forte de grege, custodiamus, malisque cum graviore periculo conjunctis vel e vestigio, vel non ita multo post salutarem adferremus medicinam; maximum tamen laborum Nostrorum hæc triennio exantlatorum Fructum in eo reponimus, quod omnibus ubique propriis oculis usurpati, propriaqve experientia perceptis, in eo statu Dei munere collocatis, ut Districtum Archi-Diaconalium, Parochiarumqve limites desigendo, potiorumqve Sacri hujus, vastiique Corporis Membrorum functiones partiendo, Corpori quidem ipsi lætiorem vigorem inderemus, Nobis vero, ac Successoribus Nostris Sacræ hujus Republicæ facilius administrandæ adminicula, et provehendæ in dies Felicitatis Ecclesiæ Transilvanicæ amplius robur, ac efficaciam conseqveremur.

Hujus per Nos navatae operæ pretium, partæque per hanc Notitiæ id primum Consecrarium fuit, ut numerum Animarum Catholicarum Latini Ritus Nostræ Iurisdictioni in Magno hoc Principatu subjectarum hactenus incertum, et vacillantem in 155,722 id est in Centum quinquaginta quinque millibus septingentis viginti duabus rite desigeremus. Ut vero de hoc Animarum Catholicarum Jurisdictioni Nostræ obnoxiarum numero Nobis, Successoribusqve Nostris adæqvate semper constare possit, omnibus Archi- et Vice-Archi-Diaconis, Parochis, ac Ecclesiarum Administratoribus, Curatisque Capellanis virtute Præsentium, Authoritate Nostra Episcopali præcipimus: Ut, præter Tabellam Impopulationis Dicasteriali usui deservientem, alias præstari solitam, singulis annis usque 15-am Novembbris 1-mo Numerum Natorum, 2-do ab erroribus ad fidem Catholicam conversorum, 3-tio Mortuorum, 4-to a Fide Catholica deficientium Archi-Diaconis suis, hi vero relationes has in Tabellam generalem, juxta Formulam ad calcem Nro. I. adjectam usque 1-mam Decembbris Nobis inomisse submittere teneantur. Quo Nos inde accrescentiam, vel decrescentiam Fidelium Nostrorum, cum primis vero e numero ad sinum Matris Ecclesiæ revertentium, aut ab ea defientium, Zelum Curatorum animarum metiri valeamus.

Secundum; Ut nonnullas Filiales Ecclesias, potissimum vero Capellas Dominales jam antea suis Sacerdotibus provisas, nempe: Magyar-Igen, Maros-part-Drasso, Nagy-Halmág, Hidvég, Oláh-Fenes, Zentelke, Bontzida, Kü-küllövár, Radnóth, Abafája, Gyalakuta, Görgény-Szent-Imre, Déésakna, Kapnik inferioris Negotiationis, qvarum quæpiam jam per Prædecessores Nostros publico Cultui Divino, administrationique Sacramentorum dicatæ fuerant, a pristinis suis Matricibus Ecclesiis avelentes, atque ad dignitatem Ecclesiarum Parochialium evehentes, eos vero Sacerdotes, qui earam Ministerio hactenus mancipabantur, Parochiali Iurisdictione, tituloque Administratorum, aut Curatorum Capellanorum, assignata iisdem certa Gregis Dominici portione instruentes,

citra

citra ullum Fundi Religionis onus, Curæ animarum in dissitis, ac dispersis locis facilius administrandæ, ac per hoc saluti animarum consuleremus.

Tertium: quod dum antehac graves interdum de licite, aut valide administratis quibusdam Functionibus Parochialibus quæstiones essent obhortæ propterea, quod nonnulla loca, in qvibus nullus prius Catholicorum residebat, saepe nulli prorsus Parochiæ essent adscripta, aut una, eademque Filialis ad plures Parochias pertinere prætenderetur; Nos hausta adæqvata tum distantiæ, tum aliorum adjunctorum notitia, certas ac determinatas Filiales singulæ Parochiæ incorporando, Controversiis id genus in perpetuum obviaverimus. Quod si hac in re, prout initio vix evitari potest, aliquis error intervenerit, Archi - Diaconorum erit, publicato, ac reviso Schematismo Diæcesano Nos, aut Successores Nostros informare, qvo in seqventis anni editione errori id genus obviari valeat.

Quartum: Quod cum propria didicissemus experientia, Districtus qvosdam Archi - Diaconales longe, lateqve esse diffusos, pluribusqve, ac ab invicem magis dissitis constare Parochiis, quam ut ad omnes Archi - Diaconi velut oculi Episcopalis vigilantia, ac sollicitudo exporrigi, Negotiaqve Diæcesana suo ubique ordine decurrere valeant, hujusmodi Districtus in duos, aut plures Circulos dispescendos, eisqve Vice - Archi - Diaconos cum necessaria tamen ab Archi - Diacono dependentia præficiendos decreverimus, qvi curas Archi - Diaconales pro re nata in suo quisque circulo sublevarent. In hunc modum Archi - Diaconatum Albensem, Parochia AlbaCarolinensi Archi - Diacono Cathedrali relicta, in tres Circulos Zalathnensem nempe cum Parochiis: Alvintz, Borbánd, Drassó, Magyar Igen, Marospart, Nagy - Enyed, Sabæsii, Tövis, Zalathna. In Offenbányensem cum Parochiis: Abrudbánya, Offenbánya, Topánfalva, Veres Patak et in Nagy - Ágiensem cum Parochiis: Boitza, Csertes, Körösbánya, Nagy - Ág, Nagy - Halmág dispescuimus.

Archi - Diaconatum Al - Csik et Kászon in Circulos Szent - Györgyensem, et Kászonensem dividendo, priori quidem Parochias: Menaság, Mind - Szent, Szent - György, Szent - Király, Szent - Lélek, Szent - Márton, posteriori Jakabfalva, Kászon - Ujsalú, Kozmás, Nagy - Kászon, Szent - Imre, Szent - Simon, Tusnád adjecimus.

Archi - Diaconatum Sepsí et Miklosvár cum Decanatu Barcensi conjunctum in Circulos Coronensem, Parochias: Bodza, Coronam, Hidvég, Tömös, Törtvár, Tárkös, et Miklosvariensem Parochias: Baroth, Illyefalva, Köröspatak, Miklosvár, Miko - Ujsalu, Sepsí - Szent - Ivány, Sepsí - Szent - György complexuros pariter sumus.

Archi - Diaconatum Kézdi et Orbai in Circulos Orbaiensem, et Kézdiensem partiti, priori Parochias: Al - Torja, Futásfalva, Gelentze, Imetsfalva, Kanta, Kézdi - Vásárhely, Szárazpatak, Szent Katolna, Szent - Lélek, Zágon, posteriori: Beretzk, Esztelnek, Lemhény, Nyujtod, Ojtoz, Osdola, Pollyán, Sárfalva applicuimus.

Archi - Diaconatum Kolos et Doboka pariter in duos Circulos Kolosiensem Parochiis: Claudiopolitana, Báts, Györgyfalva, Jegenye, Kájánto, Kend, Kice, Kolos, Kolos - Monostor, Oláh - Fenes, Szász - Fenes, Zentelke, et Dobocensem, Parochiis: Bontzida, Erked, Katona, Mots. Szék, et Teke constitutum divisiimus.

Archi-Diaconatum porro Marusiensem pariter duobus Circulis ita constare voluimus, ut *M. Vásárbelyiensis* quidem Parochias: Abafája, Ákosfalva, Ernye, Gyalakuta, Káál, M. Vásárhely, Sámsond, Szász-Regen, Szent-György, Szent-Háromság, *Köszvényesiensis* vero, Parochias: Böö, Görgény-Szent-Imre, Hodos, Jobbágytelke, Köszvényes, Remete, et Sellye complecteretur.

Archi-Diaconatum item Szolnokiensem æque in duos Circulos dispescendo, *Szamos Ujvariensi*, quidem Parochias: Bálványos-Váralya, Bistricum, Csicsó-Keresztur, Déés, Déésakna, Szamos-Ujvár, *Kapnikensi* vero Parochias: Kapnikbánya, Inferioris Negotiationis, Magyar-Lápos, Naszod, Oláh-Lápos, Oláh-Láposbánya, et Rodna attribuimus.

Archi-Diaconatum denique Udvarhelyensem ipse ejus situs in tres Circuitos ita svadebat dividendum, ut Circulo *Homorodiensi* Parochiæ: Homorod-Reme te, Karátsonfalva, Köhalom, Lövéte, Oláhfalu, Szász-Zsombor, Küküllöensi: Fe nyéd, Kaditsfalva, Lengyelfalva, Maréfalva, Oroszhegy, Szent-Kiraly, Szent Lélek, Szent-Tamás, Szitás-Keresztur, Udvarhely, Vágás, Zetelaka, Firtosien si demum Parochiæ: Atyha, Bözödújfalu, Etéd, Farkaslaka, Korond, Pálfalva, Parajd, Szováta, quam postremam e Districtu Marusiensi commodioris administrationis causa huc transtulimus, obtingerent. Cæteris Archi-Diaconatibus, utpote: Decanatu Cibiniensi cum Fogaras, Elisabethopolitano, Fel-Csik, Gyergyó, Hunyad, Thorda cum Aranyos, in priore statu relictis. Quæ omnia prout novo Schematismo Diæcesano ad hunc annum jussu, et impensis Nostris typis excusa inserenda jussimus, ita vigore Præsentium Statutorum Generalium decernimus, atque inviolabiliter ab omnibus, quorum interest observanda Authoritate Nostra Episcopali jubemus, ac præcipimus.

Quinto: Exteriore Ecclesiæ Nostræ statu hoc pacto disposito, siquidem Districtibus supra memoratis Archi-Diaconos, Circulis Vice-Archi-Diaconos præficerimus, ipsa rei, quam tractandam suscepimus, indecnes exposcit, ut hic eorum jura, Officia, omnisque activitatis limites subjungamus; ut qvos providos Ordinis Nostri Cooperatores de medio Fratrum elegimus, quosve super candelabrum, ut luceant omnibus, qui in Domo Dei sunt, collocavimus, omnem dispensationis sibi creditæ rationem cognoscentes, ita in Munere suo versentur, ut nec Nos de eorum provectione, nec ipsi de tanto Officii susceptione damnari a Domino, sed potius remunerari mereamur. Itaque

A.) Præcipuum Archi-Diaconi Munus est quotannis singulas sui Districtus Parochias sive per se, sive in casu legitimi impedimenti, aut majoris Districtus extensionis per Vice-Archi-Diaconum obire, ac visitare, sunt enim oculi Episcopi, qui cum gravissimis totius Diæcessis, imo et Reipublicæ curis pressus, saepe stare cogatur post parietem, et remotiores sacræ suæ Ditionis partes respicere cogatur per fenestras, prospicere per cancellos, necesse est, ut medio Archi-Diaconorum multa videat, et exploret, quæ foris contingunt. Hac occasione eo præcipua cura convertenda est, ne seu salus animarum, seu peculium Ecclesiæ, seu dos Parochiæ detrimentum patiatur; diligenter proinde non minus, ac prudenter per vestigabit Archi-Diaconus præscripti Cultus Divini peragendi, Verbi Dei annunciandi, Catechisandorum parvulorum, Sacramentorumque administrandorum, omnem denique vitæ, ac morum Pastoris rationem, discutiet Matriculas Baptisatorum, Copulatorum, Defunctorum, ac Conversorum, nec non mixtæ Religionis Matrimoniorum, Protocolla Regiarum, ac Episcopaliū Ordinationum; Inventaria sacræ Supellectilis, Fundi instructi Parochialis, Librorum cum actuali statu

statu combinabit. Revidebit Fontem baptismalem, sacra paramenta, munditiem, et decorem Altarium, sacrorum Vasorum, Ecclesiæ parietum, ac pavimenti, Statum Cassæ Ecclesiæ; detectisqve defecitibus e vestigio obviabit, aut pro re nata nostram medelam exposcit. Demum sub suo præsidio, in concursu Parochi, Curatoris Ecclesiæ, Patronatus, aut primorum Communitatis, reddendas per Curatorem Rationes censurabit, omnibusque in eorem præsentia, qvi rei maximam lucem affundere possunt, ad claritatem positis, extractum earundem Rationum distincto Libro qvotannis inserendum, atque juxta advolutum ad calcem exemplum Nro. II. in Tabellam, quæ per se, Parochum, ac Curatorem, testimonium item Patronatus, aut Communitatis subscribi debet, inserendum Officio Diæcessano non singillatim, sed ad semel e toto Districtu, una cum adaqvata de perfecta Visitatione, Relatione qvotannis substernet.

B.) Archi-Diaconi est Congregationes Districtuales pro renata indicere, jis præsidere, ac in corona Districtualium Fratrum sacris collationibus, de rebus ad munus Pastorale cumprimis pertinentibus, a Sanctis Patribus tantopere laudatis, summo studio vacare. Si enim Princeps Pastorum ipse Nobis pollicetur, ubi duo, vel tres congregati fuerint in ejus Nomine, se in medio eorum adfuturum, qvanto minus deseret coronam Fratrum Zelo pietatis confluentium ut glorificetur Deus in Concilio Sanctorum? quanto magis Conventi Fratrum gratia sua sancta aderit, ut quod uni, alterive videtur obtectum, plaribus simul de eo conffrentibus clarescat, atqve in plena luce collocetur? Hujusmodi vero Districtuales Congregationes adminius bis per annum Mense Majo nempe, et Septembri celebrari, atque in iis, ea Collationum sacrarum argumenta adsumi volumus, quæ vel ad resolutiones Quæstionum e Theologia Dogmatica, Morali, ac Iure Canonico ab Officio Diæcessano, aut Vicarii suo tempore proponendarum, vel ad enodandas occurrentes in exercitio curæ animarum difficultates, Parochialia Munia rite implenda, ad mutua Virtutum Pastoralium cumprimis excitanda, foventaque exempla referantur. Omnia vero in hujusmodi Cætibus graviter, modeste, ordinate siant, ne, ut S. Gregorius Nazianenus ait, hi in Concilia gruum anseriumque temere pugnantium degenerent.

C.) Ad partes Archi-Diaconi pertinet Foro Archi-Diaconali, vetusta Almæ hujus Diæcessis consuetudine recepta præesse, atque in eo causas minoris momenti juxta Normam processus Spiritualis a piæ memoriæ Decessore Nostro Josepho Mártoni die 22-a Martii 1801 adornatam cognoscere, ac definire. Quia tamen longa experientia didicimus, causas divoriales quoad thorum, et mensam, que in supra citata Norma inter Causas minores referuntur, gravissimas sæpe juris quæstiones involvere, hujusmodi causas coram Foro Archi-Diaconali suscitar quidem, instrui, ac pertractari ea tamen lege admittimus, ut dum Processus revisioni maturus fuerit, universa acta, una cum projecto ferendæ sententiæ, fine maturioris discussionis Consistorio Nostro Episcopali semper substernantur, ferendumque Consistoriale Deliberatum, penes consvetos Apostolos Jurisdictioni Sæculari pro executione isthiac transcribatur; Causas vero spirituales majoris momenti, præcipue vero Vinculares ita Consistorio Nostro Episcopali proprias declaramus, ut ab Archi-Diaconis ne documenta quidem ad instruendum id genus Processum necessaria, citra Consistorialem Delegationem confici valeant, secus omni robore suapte caritura,

D.) Archi-Diaconi est Fratres Districtuales ægre, ac periculose decumbentes invisere, solari, utque domui suæ tam in spiritualibus, quam in temporalibus disponant adlaborare, defunctis in concursu vicinorum Fratrum justa Funebra decenter persolvere, Testamentum, si præsto est, illico per expressum

Officio Diæcesano fine approbationis substernere, relictam substantiam nisi alii Executores diserte nominentur, vicino Fratre in societatem assumpto consribere, distrahere, atque oneribus ne fors inhaerentibus ante omnia depuratis, ac satisfactione Ecclesiæ, aut Parochiæ, si quod præjudicium his per defunctum illatum est, procurata, ad mentem Testatoris dispensare, si quid a tenoribus Testamenti fuerit residuum, Ordinarii determinationi substernere; denique a dato Funeris intra quatuor mensium spatium tota executione absoluta, adæquatas Officio Diæcesano de omnibus reddere rationes. Quæ omnia de manipulatione substantiæ Fratrum ab intestato decedentium pariter intelligi volumus, nisi quod ante effectivam executionem projectum conformiter ad benignas Resolutiones, et Constitutiones Diæcesanas trifariam partiendæ caducæ Substantiæ una cum integra pauperum rata, si ea Ellos Rh. 500 exsuperet, Nobis, Successoribusque Nostris substerni debeat, ut de hujusmodi rata sive pauperibus Cognatis, sive Instituto cuiquam analogo addicenda opportuna disponere possimus. Ne vero prætextu difficultatis incassandarum restantiarum, activorumque debitorum Manipulatio id genus substantiarum ultra præfixum spatium protrahatur, id per expressum virtute præsentium cautum volumus, ut sollicitudine incassandi legatariis, aut aliis e substantia caduca participantibus reticta, quoad fieri potest, ipsi Contractus Originales penes legitimam translationem concernentibus loco paratæ extradentur. Quod si demum Capellanos ad latus Parochorum constitutos, ab intestato decedere contingeret, cum Beneficio Ecclesiastico stricte tali non gaudeant, eorum universam substantiam Parentibus, aut propinquis extradandam disponimus. Rata pCentuali, prout ex aliorum quorumcunque Ecclesiasticorum caducis substantiis Seminario Cleri Junioris, et Deficientium obventura, Nobis, Successoribusque Nostris reservata ad vires Substantiæ defigenda.

E.) Inter munia Archi-Diaconalia refertur: occasione mutationis in Parochialibus Beneficiis divisionem proventuum inter Decessorem aut ejusdem massam, ac inter Successorem, juxta Normam jam alias die 25 a Julii 1816 per Nos defixam instituere, ejusque peractæ non secus, et Resignationis, Receptionisque omnium ad Ecclesiam ac Parochiam pertinentium Instrumentum per se, ac eos, quorum interest, subscriptum in uno exemplo Officio Diæcesano substernere, alio in Parochia relichto. Novum vero Parochum, Canonica Investitura provisum excepta ab eo, nisi jam in manibus Ordinarii, aut Vicarii Generalis id præstisset, Fidei Catholicæ professione, Parochorumque juramento, ritu solenni installare, atque in Parochiæ, omniumque ad eam pertinentium realem possessionem introducere.

F.) Quia tristi experientia didicimus in nonnullis Parochialibus Communitatibus, siculicis cumprimis, quæ jure Patronatus gaudent, adeoque tres Candidatos a se electos Ordinario ad vacantem Parochiam præsentant, hoc gravissimi momenti negotium ea, qua par est, Fide, integritate, modestia, ac diligentia minime tractari, sed potius sive competentium, sive candidantium vitio, studiis partium a suspicione simoniaca labis nequaquam immunibus factiones, imo etiam seditiones sœpe excitari; Archi-Diaconis earum partium maximopere incumbet Parochialibus ejusmodi Congregationibus præsidere, motus animorum moderari, factiones autoritate sua compescere, totumque Candidationis opus ita dirigere, ut Nobis, Successoribusque Nostris ejusmodi Candidati proponantur, in quorum nullum canonica cadat exceptio. Ne, quod identidem non sine gravi dolore Nostro evenit, Candidationem rejicere, atque de idoneo Individuo diligendo, pro pastorali Nostra sollicitudine ipsi prospicere cogamur. Hujusmodi vero Candidationem una cum numero votorum, quæ cuivis Candidatorum obvenirent, in ipsa Congregatione per se subscriptam, et signatam Officio Nostro idem

Arch.

Archi-Diaconus penes sinceram rei gestæ seriem indilate transmittet. Quocirca omnibus id genus Parochianis Communitatibus jure Patronatus pollutibus, prout et omnibus ad hujusmodi Parochialia Beneficia aspirantibus, in virtute sanctæ et salutaris obedientiæ mandamus, ut in negotio cum gravissimo salutis discrimine conjunto ita versentur, ne præter certam ejusmodi a recto tramite aberantis Candidationis rejectionem, Canonicis insuper pœnis eos subjicere pro munere Nostro debeamus.

G.) Archi-Diacono incumbit non tantum supra præscriptas de æ crescentia, vel detracientia animarum Catholicarum, item impopulationis pro usu Dicasteriali, Rationum præterea Ecclesiæ Tabellas sub finem Anni Civilis, sed etiam adæquatam de omnibus Individuis Ecclesiasticis et Regularibus intra ambitum sui Districtus degentibus juxta Formulam sub Nro. III. ad calcem adnexam in puritate Conscientiæ substernere. Imo si quid interea evenerit, quod Authoritate Archi-Diaconali componi, aut corrigi non possit, medelamque a Nobis adferendam requirat, prius etiam, quam malum invaluerit, ad Nostram, Successorumque notitiam perferre; Denique omnia quæcunque seu a Diœcesano, seu a Vicariali Officio ejus Curæ, dexteritatique specialiter commissa, demandataque fuerint, quam diligentissime exequi, et adæquatas, meritumque plene exhaustientes Relationes eatenus præstare,

H.) Ad jus denique, atque ad munus Archi-Diaconi id quoque pertinere volumus, ut Congregationibus Parochialibus, in quibus de electione servitorum Ecclesiæ, utpote Vice-Curatorum, Cantorum, Campanatorum, Aedituorum agatur, præsideat et pluralitate votorum electos, si cæteroquin idonei reperti fuerint, authoritate sua confirmet; Superiorum Curatorum, quos in majoribus nonnullis Ecclesiis ipsi constituimus, nominatione Nobis, Successoribusque nostris reservata; alias vero Congregationes Parochiales pro re nata sub praesidio Parochi, potissimum ad excessuos Juvenes, aliosque Fideles in Officio continendos, celebrandas, occasione Visitationis ubique organisare, certosque iis limites, ut omnis cum publica justitiæ administratione collisio evitetur, Ordinarii approbationi suo tempore substernendos, præscribete.

Sexto: Quæcunque de juribus, ac Muniis Archi-Diaconorum præcedentibus Capilibus complexi sumus, ea omnia Vice-Archi-Diaconis quoque in eum casum quo Archi Diaconum sive ægritudine, sive aliis Diœcesanis urgentioribus laboribus, sive longa distantia, ac molestia itineris impediri contigeret, volumus esse communia, ita tamen, ut quæ nomine Archi-Diaconi in suo Circulo gesserint, ea ad notitiam Archi-Diaconi semper perferre teneantur.

Septimo: Ut vero onerosa hæc Jura Archi- et Vice-Diaconorum nonnullis favoribus, quantum in Nobis est, compensemus, Archi-Diaconis non minus, ac Vice-Archi-Diaconis tam occasione manipulationis substantiæ defunctorum Parochorum, quam occasione exmissionis, aut confectionis publicorum Instrumentorum in causis privatorum competentia Diurna addicimus. Deinde facultatem novas Ecclesiæ, quarum consecrationem differri oportet, Capellas, Cruces, Statuas, Fodinas salis et Minerarum, sacra denique paramenta in proprio Districtu, aut Circulo, juxta ritum Ritualis Strigoniensis solenniter benedicendi, litros prohibitos ad effectum confutationis legendi, a Casibus Episcopo reservatis in sacro Tribunali absolvendi utrisque, ea nihilominus lege impertimur, ut jure has Facultates aliis subdelegandi minime gaudeant, cuius subdelegationis relate ad postremum necessitati salis obviavimus, non solum Præsidibus Religiosarum Provinciarum, locorumque superioribus, sed multis etiam Curatis,

quorum Parochiæ adjuncta ita postulabant, Facultatem absolvendi a Casibus Episcopo reservatis liberaliter attribuendo, eandemque occasione Confessionis Paschalis, et Confessionis a Nupturientibus ante ipsas nuptias, aut a moribundis peragendæ, ad omnes Curatos, prout antea, ita per præsentes quoque extendendo. Reliquis quibuscumque Facultatibus in specie vero restituendi juris petendi debiti, ob incestum perpetratum amissi, Nobis, Successoribusque Nostris eo magis reservamus, quod pœnitenti ab incestu cæteroquin absoluto, citra periculum salutis interea, dum ei ab Episcopo succurratur, hoc jure carere, tristesque tanti libidinis excessus sequelas aliquamdiu experiri expediatur, ut Spiritus salvus fiat.

Ut porro Archi, et Vice-Archi-Diaconi, quemadmodum muniis, ita etiam exteriore cultu, ac quibusdam honorum insigniis distinguantur, quemadmodum Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Actualibus, et Honorariis Cononicis, Abbatibus item ac Præpositis Mozzettam, Birretum, Pallii Ecclesiastici expositiones, Cingulum, ac tibialia violacea; ita Archi-Daconis Birretum, et cingulum, Vice-Archi-Daconis Cingulum ejusdem coloris, omnibus titulum: Reverendissimorum, Surrogatis vero Vice-Archi-Daconis: Admodum Reverendorum concedimus, hancque in vestitu distinctionem usu venire, eumque ab omnibus honorem prædictis Dignitatibus, et Officiis exhiberi jubemus.

Octavo: Muniis, juribusque Archi-Daconorum, eorumque vice, dum res poscet, fungentium, in hunc modum elucubratis, suapte eo Nostra delaberetur oratio, ut Officia Parochorum, aliorumque, qui Curæ animarum incumbunt describamus; sed cum ea et e Theologia Pastorali constent, et fusiorem tractationem exposcant, quam ut hæc præsentibus generalibus statutis comprehendendi valeat; ad accendendum, fovendumque Zelum Pastoralem id habebamus propositum, ut Visitatione Canonica terminata, præstantissimum Opus, cui Titulus: *Lectio-nes in usum Cleri*. Viennensibus Typis Anno 1816 procusum, cujus nonnulla exempla Nobiscum detulimus, recudendum, ac in singulas Parochias distribuendum curaremus, ut ex illo, velut omnium quæ ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum et erudiendum in justitia Pastorem animarum in Scripturis Sacris, in SS. Patribus, in Conciliis sparsim occurrunt, absolutissimo compendio, diurna nocturnaque manu terendo, Clerus Transilvanicus in dies proficeret, perfectusque fieret homo DEI ad omne opus bonum instructus. At postquam Misericors et Miserator Dominus admirabili sua Providentia aliter de Nobis disposuit, aliud Nobis non suppetit, quam ut propositum hoc Nostrum, ut primum adjuneta rerum permiserint, in Hungaria exequamur, et pro numero Parochiarum necessaria perutilis hujus Libelli non minus, ac Ritualis Strigoniensis, pro usu hujus Diœcesis ab Antecessoribus Nostris præscripti, quæ passim defecisse comperimus, exempla Vobis submittamus. Interea juvat ea duntaxat Sacro-Sancti Concilii Tridentini verba Sessione 23. Cap. I. de Reform. quibus omnis Curæ animarum ratio nititur, Vobis Fratres, Filiique in Christo Dilectissimi! in memoriam revocare „Præcepto nempe Divino mandatum esse omnibus, quibus Animarum cura commissa est, Oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munera Pastoralia incumbere“ Satagit igitur, ut Zeloso muniorum horum exercitio certam vestram vocationem, et electionem faciatis. Huc spectat ejusdem Concilii Tridentini saluberrimum Docretum Sess. 22. Cap. I. de Refor. omnium Clericorum cordibus altissime imprimendum. „Nihil est profecto quod alios magis ad pietatem, et DEI cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se Divino Ministerio didicarunt. Cum enim a rebus Sæculi in altiorem sublati locum conspi-

cian-

„ciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt „quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, „ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Oportet autem Clericos eodem Concilio Tridentino Sess. 14. Cap. 6. de Reform. præcipiente: „Vestes „proprio congruentes Ordini deferre, ut per decentiam habitus extrinsecam, mo- „rum honestatem intrinsecam ostendant „hanc autem minime ostendunt nonnulli, „apud quos tanta inolevit temeritas, Religionisque contemptus, ut propriam di- „gnitatem, et honorem Clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant pu- „blice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carna- „libus“ sparsis, et de industria impensis comis, genis hirsutis, limbis manicarum interioris indusii, ultra manicas exterioris vestis prominentibus, cingulis non lum- bos sed pectora adstringentibus, calceis splendicantibus, et reliquis id genus monstris, hujus Sæculi vanitates consectantes. Quocirca universo Clero Nostro tam Sæculari, quam Regulari in virtute sanctæ, et salutaris obedientiæ manda- mus, ac sub gravissimis pœnis a sacris Canonibus constitutis districtim præcipi- mus, ut nemo eorum sine veste talari, quæ Clero Hungarico propria est, in publico apparare præsumat, ea vero, quæ de modesto vestitu paulo ante e Concilio Tridentino adducta sunt, rescissis, et abjectis Sæculi nugis, sancte cu- stodire omnis omnino teneatur.

Nono: Ne Curatorum quoque, ac Vice-Curatorum Ecclesiæ oblisca- mur, horum Officium in eo defigimus, ut cointelligenter cum Parocho omne ab Ecclesia, vel Parochia detrimentum avertere studeant. Proventus Ecclesiæ si- ve e Capitalibus, sive e Fundis, aut aliis bonis diligenter incassent, adæqua- tum Diarium perceptionum, et erogationum ducant, Cassam Ecclesiæ sub dupli- ci sera, ubi fieri potest, quarum unius clavis penes Parochum sit, sedulo custo- diant, minores reparations tempestive suscipiant, maiores erogationes e peculio Ecclesiæ suscipiendas Officio Dicecesano prævie remonstrent, Parocho in colligen- dis consuetis præstationibus a Parochianis, adjumento sint, annuas rationes ge- sti hujus Muneris, coram Archi-Diacono, et primoribus Communitatis reddituri. Omnem proinde in eo ponant operam, ut fideles Dispensatores inveniantur. Functiones Cantorum, Campanatorum, Æditariorum alioqui a dispositionibus Pa- rochi pendentium notiores sunt, quam ut a Nobis debeant commemorari.

Et hæc quidem de Personis Ecclesiæ ministerio quomodounque mancipa- tis. Superest, ut de sacris quoque rebus, prout eas in punctis Visitationis suis locis attigimus, sequentia statuamus. Et quidem

Decimo: Deprehendimus in nonnullis locis Cryptas intra Ecclesias ne- que loculis, neque aditu a foris contra b. ordinationes Regias instructas, depre- hendimus Cæmeteria Fidelibus humandis destinata, patentia prorsus, nullaque Cinctura provisa; quemadmodum sub actu Visitationis ejusmodi Cryptas nisi ad mentem benignarum Resolutionum adaptentur, claudi illico, obmuratoque interio- ri accessu, extra usum poni; Cæmeteria vero per Communitatem Parochianam ubique cingi, majorumque suorum ibi in pace quiescentium exuvias, a brutis animantibus temere secus Cæmeteria hæc adeuntibus, quietem procurari deman- davimus, ita nunc Archi, et Vice-Archi-Diaconorum vigilantiam, et operam, ut his mandatis nostris ubivis satisfiat, provocamus.

**Undecimo:** Ordinem, omnemque rationem Cultus Divini peragendi, ac sub Divinis psallendi, quem ruri, præcipue in Sicilia non sine maximo solatio deprehendimus, ac in Civitatibus per particularia Decreta Visitationalia regulavimus, eundem inviolate porro etiam custodiri jubemus: In Ecclesiis nihilominus Religiosorum, quæ curam Animarum adnexam non habent, Divinorum celebrationem opera Archi-Diaconorum ita temperari præcipimus, ne ea unquam in idem tempus, quo in Ecclesia Parochiali Cultus Divinus peragetur, coincidant, populusque a Parochiali Ecclesia avocetur. Volumus autem in utriusque Ordinis Ecclesiis non solum in omnibus Missis disertam in Canone Supremi Terræ Principis fieri mentionem, sed etiam in omnibus sacris Cantatis specialem pro Rege Apostolico Collectam assumi.

**Duodecimo:** Processioni Theophoricæ, ipso Festo SS. Coporis Christi ex Ecclesia Parochiali, Dominica vero infra octavam ex Ecclesia Religiosorum aut alia Filiali, ubi id usuvenit ducendæ porro quoque insistimus, sed gravissimis rationibus adducti, Processionem Resurrectionis Dominicæ ad Ecclesiam Parochialem ita restringimus, ut ea in confluxu totius Parochiani Populi, quam maxima solennitate et devotione hora 6a pomeridiana, ex hac per publicum Forum peragatur. In Ecclesiis vero Religiosorum, aut aliis Filialibus, in quibus sepulcrum Domini erigi, atque in eo SS. Eucharistiae Sacramentum adorationi Fidelium, sacrum sepulcrum pro more visitantium exponi consuevit, Cœmoniæ hanc in rem Rituali Strigoniensi præscriptæ, parietibus Ecclesiae concludantur.

**Decimotertio:** Abusui in nonnullis Urbibus contra expressas Synodorum etiam Hungaricarum Sanctiones invalescenti, pro Munere Nostro Pastorali obviaturi, Sacramentum Baptismi citra casum necessitatis extra Ecclesiam peragi, districtim prohibemus, et ne quid inde brumali tempore, imminentis Infantibus periculi prætexatur, aliquam Fontis Baptismalis partem in Parochia loco calido asservari, Confessiones vero Fidelium, nisi aliud svadeat necessitas, pariter in Ecclesia, aut sacristia excipi jubemus.

**Decimoquarto:** Cum in pluribus Ecclesiis Parochialibus Capitalia Fundationalia Missarum, vel ab initio parce emensa, vel iniquitate temporum devalvata minores longe Census, ac sustentationi Ministrorum sufficient, hodie præbere occasione Visitationis Canonicae comperissemus; pro authoritate Nostra Episcopali tum a Concilio Tridentino, tum a Sede Apostolica Nobis specialiter attributa, eam hoc in negotio rationem inivimus, ut Lectarum Fundatarum Missarum, quamdiu in chartacea pecunia dependet, stipendum ad florenum elevaremus, numerumque Fundationalium Missarum, a proportione Census ita diminueremus, ut singulo Floreno V. V. una missa fundata respondeat. Quod ipsum vigore præsentium ad omnes Ecclesias Parochiales extendimus, volentes, ne deinceps ullæ fundationes acceptentur, quibus uno Floreno minus stipendum pro una missa celebranda assignetur.

**Decimo quinto:** Quoties deinceps Augustimum Religionis Nostræ Mysterium ad infirmos deferetur, id semper publice fiat Sacerdote semper Superpelliceo, et stola induito, Ministro vero cum campanula, et lampade præente. Quod si huic solennitati in Urbibus, duo Ministri cum facibus, aut cereis accessis, duo item clericali vesticula induiti cum umbella, obvii item in platea populi comitiva ad Domum usque ægroti adjungerentur, non modica fieret ad venerationem, adorationemque Sanctissimo Eucharistiae Sacramento debitam, atque ad pietatem, ædificationemque populi Christiani accessio.

Deçi-

**Decimo sexto:** Matrimonii quoque Sacramentum, sive utraque, sive una duntaxat Contrahentium pars sit Catholica, semper per Ministrum Religiosi Catholice, publice, in facie Ecclesiae celebrari; ut vero prolibus e mixtis Matrimonii susceptis, et suscipiendis rite juxta Legem educandis Parochus pro pastorali sua Obligatione invigilare, omnemque prævaricationis hoc in genere occasione te npestive antevertere valeat, in singulis Parochiis, in quibus mixta id genus Matrimonia usuveniunt, præter communes Matriculas porro quoque ut antehac cum insertione horum etiam matrimoniorum, natarumque inde prolium continuandas, distinctum Protocollum, in quod anterius quoque contracta mixta matrimonia, una cum prolibus inde susceptis deincepsque contrahenda pariter cum prolibus inde natis referantur, confici accurate visitantique Archidiacono exhiberi districtim jubemus, ac præcipimus.

**Decimo septimo:** Pulsum pro salutatione Angelica hactenus fere ab arbitrio Campanatorum pendente, pro totius Monarchiae Austriacæ consuetudine, in omnibus Dicecessis Nostræ Civitatibus, majoribus oppidis, et quoad fieri potest ruri quoque, uno eodemque tempore ubique, nempe matutinum sub Auroram, Meridianum hora 12-a, Vespertinum autem a Festo S. Georgii usque Festum S. Michaelis hora 8-va, ab hoc vero usque idem Festum S. Georgii hora 7-a quotidie peragendum decernimus.

Cæterum non possumus silentio premere illud, quo superabundamus, gaudium, quod nonnullis debilibus, et claudis exceptis, tales vos occasione sacrae hujus Peregrinationis deprehenderimus, quales maximopere desiderabamus.

Postrema est hæc vox publica Pastoris et Episcopi Animarum Vestiarum ad Vos Fratres, Filiisque in Christo Desideratissimi! Non dubitamus illam eo Filialis pietatis, Officii, obsequii sensu a vobis accipiendam esse, quo primam illam, quam ante triennium, et quod excurrit, edidimus, accepistis.

Multa illic Vobis polliciti sumus, Vosque in spem futurorum, quibus sors **Vesta** tantisper melior reddatur, ereximus. Si brevi hoc temporis spatio non omnia destinata implevimus, si fidem interpositam adhuc non exolvimus, scito te non voluntatem Nobis, sed Facultatem ad hoc defuisse. Confidimus Nihilo minus in immensa bonitate DEI, ardentи Successoris Nostri Zelo, quem Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Transilvaniæ, hæc, quæ ipsi incepimus perfectum iri.

Divellemur quidem a Vobis non ita multo post Fratres, Filiique in Christo Charissimi! sed dulcem Nobiscum feremus amoris, pietatis, obsequii, venerationis, Filialis fiduciæ, quibus Nos semper complexi fuistis, recordationem, grataque Nobis erit omnis occasio publicis, privatisque documentis semper contestandi, quantopere Transilvaniam diligamus. Nemo quidem Nobis ipsis melius novit, quantopere Nos abortivi a Magno Gentium Apostolo distemus; ejus tamen Asiæ senioribus valedicentis verba sunt ejusmodi ut ea a Nobis cum timore DEI usurpari posse arbitremur. „Et nunc ecce Ego scio, quia amplius non „videbitis faciem meam Vos omnes, per quos transivi prædicans Regnum DEI „Non enim subterfugi, quominus annunciatem omne Consilium DEI Vobis, per „triennium cum lacrymis monens unumquemque Vestrum“ si quem observavi deflectere a via, quæ dicit ad vitam. „Propter quod vigilate, memoria retinentes, quæcumque didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram,

„ut, quemadmodum accepistis a Nobis, quomodo oporteat Vos ambulare, et  
„placere DEO, sic ambuletis, ut et abundetis magis. Gratia Domini Nostri Ie-  
su Christi, et Chaitas DEI, et Communicatio S. Spiritus sit cum omnibus Vo-  
bis Amen. Dabamus in Aedibus Nostris Episcopalibus. Albae Carolinæ die vi-  
gesima Quinta Januarii Millesimo Octingentesimo Vigesimo, Episcopatus No-  
stri Anno Quarto.

Alexander Princeps Rudolphus



Ad benignum Sue Celsitudinis Mandatum  
Vos: Tamasi m<sup>r</sup> Can. a Satere.

## T a b e l l a r i

Numeri animarum Romano-Catholicarum Natarum, aut aliunde ad E  
Fide Catholica in Parochia N. Districtu Archi-Diaconali N. e revisis sub

# Extractus

Ecclesiam Catholicam accendentium, defunctorum item, atque deficientium a  
to infrascripto Matriculis erutus a 1-a Novb. 1819 usq. ultim. Octob. 1820.

Catholica defecerunt.

Augusta- nam confesi- onem. ro.	ad Uni- tarios Nro.	ad Iuda- ismum Nro.	In Summa Nro.

## Observationes.

In Tabella Generali seqvens tantum titulus erit:

Extractus Tabellaris Numeri animarum Natarum, aut ali-  
unde ad Ecclesiam Catholicam accendentium, defunctorum,  
item, ac a Fide Catholica deficientium in Districtu  
Archi-Diaconali N.

Sign. N. die N. A. 1820.

N. N.

Parochus N.

in generali Tabella vero

N. N.

Archi-Diaconus m. p.

## Extractus

Rationum Ecclesiæ Parochialis N. in Districtu Archi-Diaconali N.  
Rationibus erutus a 1-a Nove

## Tabellaris

e revisis, censuratisque sub infrascripto dato fusis, documentatisque  
mb. 1819 usque ultimam Octob. 1820.

De omnibus Individuis Ecclesiasticis, et Regularibus Curan  
Districtu N. constitutis pro An-

Nomen et Cognomen	Anni		Peculiaria merita in gestis Muneribus cum notabili utrius- que Reipublicæ emolumento com- parata.
	Aetatis Physice	Cure animarum, aut aliorum officio- rum gestorum.	
Patria.			
Conditio			
Officium.			

# Tabellaris

in Animarum, aut alia Officia gerentibus in Archi-Diaconali  
ano.

Eximie animi, et Corporis  
lotes, puta: ingenium, erudi-  
cio, modus dicendi, affabilitas,  
modestia, gravitas, conversatio  
omni labore immunis, amor suo-  
rum, in officio assiduitas, vale-  
udo, et cetera.

Censura digna, uti: excessus  
in potu, vel iusu; avaritia, du-  
rus cum suis agendi modus, ma-  
lus odor vite, in Officio so-  
cordia, rerum ad Ecclesiam,  
aut Parochiam pertinentium incu-  
ria, in doles inquieta, refractaria,  
et reliqua.

## Observationes:

quorsum pertinent, quæ ad præcedentes  
Rubricas commode referri non possunt,  
Prælati tamen notitiam exposunt.



10281